



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Præmonitiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)



MODI ORATIONIS SACRÆ FORMANDÆ.

Præmonitiones.

I.

Nihil mihi vobis cum magni orbis Doctores: nisi ut veniam petam, quatenus liceat, simplici rate, aureum littus, vestri maris radere. Felices, quos Spiritus ab alto imbuit! de cuius plenitudine prolocutus Petrus, repentinus è pescatore Ora- tor; plura hominum millia uno sermone; quam piscium, multis retibus cepit. Hujus impetu velificatis, hujus motu, corda animosque hominum impellitis; perfectissimo, ac vobis noto; sapientiæ Di- vinæ magisterio. Illis interea qui vos à longè, de- siderio sequuntur; quemadmodū aliis subsidiis, ita, arte & exercitatione, opus est: ut creatura, suo co- operetur Creatori. Nam si rumpuntur retia, id est, si sermo est non satis dispositus, & aptus, & non la- bitur pescis, non humanae hoc facundia est opus, sed su- perna vocationis munus, inquit D. Ambr. in caput 5. Luc. Quanquam in hoc genere orationis, sem- per humana facundia & ingenium jacent: nec plus valent; quam Divini eloquii, obsequiosa instru- menta.

A

II. Qui

II.

Qui modos hos , volet sibi auxiliares ; assumpta sententia dictionis , adeat unum , alterumve illorum: atque adeo cum placet , plures explorando , quis eorum sententiæ tractandæ commodior sit . Omnes certè non percurret , quin excitetur ingenium , & voti compos fiat . Id tanto potiori jure faciendum , quia non ex quovis loco , duci quævis oratio potest : nisi quis , non tam obviam recipere , quam reluctantem reclamantemque rapere velit : quod genus dicendi , & spiritui & ingenio obliteratur: ac idcirco ; etiam post laboriosos conatus , paruum fructum facit . Juvabit insuper , ad facilitatem usûs eorum acquirendam , eandem sententiam exercitationis causâ , à Tyronibus juxta varios modos tractari . Unde id quoque solatii veniet , quia luce clara cognoscent , sacrarum fæcunditatem scripturarum : quæ de eadem re , diversissimè dicenti , sententias & sensus tot , varietati dictionis conformatos , suppeditabunt : ut vix ipse orator , de eadem re à se dici , sibi credat .

III.

Quia ad facilitatem præceptis comparandam , Praxes , sive exempla singulis sub-necto : nemo ab iis obsecro , aut cultum singularem aut eruditionem exigat . Existimo enim minimum interesse , quam comptus ornatusque sit ductor : dum iter rectum monstrat : & monente S. Leone Ser. 3. de nat. melius est , doctos onerare jam notis , quam rudes fraudare descendis . Nemo etiam formam perfectâ Orationis sacræ , ex iisdem exemplis sumat : quia non ago

Orato-

Oratorem; sed puncta quæ possent oratione deduci, suggero. Hoc moniti, vel ideo adjecero, ne videar subjectis praxibus omni affectu destitutis, probare illorum morem, qui non pauca in orationem congerunt; minimè autem intellectui convincendo, ac perurgendo affectui, insistunt: atque ideo, fine suo, quod monet A. R. P. Noster Claudio Aquaviva Epistola de Concionatoribus §, secundo facilimè fraudantur.

IV.

In dividendis his modis, non ita spectavi series generum, & specierum, ut singulas rigidè atq; Metaphysicè distinguerem, sed majoris claritatis gratiâ, nonnunquam, tanquam novos distinctosque explicui, qui alio capite includi meritò poterant: quemadmodum etiam multos, brevitatis studio non distinxi, quibus distinctio conveniebat. Facile obtinebo veniā apud Logicos si utiliter instruxero Rhetores. Porrò quia duplex est classis, assumptorū ad orationē sacrā formandam, modorū; altera quæ ex scripturæ sacræ fontibus, apertius fluit: altera quæ de rivis Rheticis, notius dicitur; digniori primas partes meritò concesseris: Utriusque autem nexus esto, ut principia Rhetorica scripturæ sacræ firmentur robore, & in scripturæ proponendis dogmatibus, Rheticō utamur ductu, ne humano destituamur progressu.

V.

Nunquam Tyro ad dicendum procedat, quin apud se prius statuat: quod vitium oratione persequi aut quam virtutem commendare velit. Ita fiet, ut & certo passu, ad scopum tendat: & multa vana,

in verbis rebusque devitet: felicior Orator si ejus persuasum, quispiam de plebe, sincerè peccatus tundat; quam si ad inanem eloquentiæ famam, tota civitas plaudat. In Panegyricis Orationibus, id propositum servari, difficile posse videtur: verum quid est sanctorum virorum, sanctè gesta memorare, nisi eorum virtutes imitationi proponere? Quod tanto utilius fit, si certis, & auditori accommodatis virtutibus exaggerandis, Orator magis inhæreat: aut, si post Panegyrim, populum ad imitationem virtutum ferventer hortetur.

VI.

Ante omnia quicunque optat veri prædicatoris Christiani meritum adipisci, non aliud prædicet, quam Jesum Christum crucifixum. Deploranda, nec ullo loci, aut Provinciae, aut principum genio excusanda perversitas: qua in concionibus, aulicissimi, dictoria, & Æsopo penè similia somnia, è ruderibus indignissimæ Eruditionis petuntur: scripturæ autem autoritas, & sinceri, nec male torti sensus, contemnuntur. O pessima judicia! De Nazianzeno in Apologet; concionator, *Deus est, & qui alios Deificet*. Quis illud Dei os appelleat, à quo plures venundantur lepores in cathedra, quam emanantur lepores in emporiis? Hi sunt, qui Hæreses scandalizant, pietatis integritatem subvertunt, verbum Dei adulterant, ejusdemque esuriem siceram malis obsoniis corrumpunt. Infelices! si (quod ex eorum gregenuper non nemo) à morte audiant. *Prædicasti te pro me, accipe in mercedem, te pro me.* Tu quisquis hæc leges. Ora pro me & Te, ut sint hæc

MODUS PRIMUS.

hæc procul à nobis. Interea labore tibi devoto, si
juvat, utere.



MODUS PRIMUS.

Sacræ Orationis formandæ

Constat, ex reflectione, ad Naturam, ad Artem,
& ad Scripturam. Hoc modo orationem for-
maturus, perspectâ sententiâ dicendâ diligenter,
hos tres gradus pervideat: ut quod suggesserint,
ad probationem susceptæ rei transferat, quod fiet,
si expendatur, quid de materia dicenda suggeri pos-
sit, ex natura rerum, quid ex arte, historiis, Poetis,
picturis, tum quid ex scriptura. E. g. ad illa verba
Matth. 4. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum expen-
dere posses, Dæmonem;* cum nos filiatione Dei
adoptiva vult spoliare, nunquam aliud suadere;
quam ut nos mittamus per peccatum deorsum. Est
enim peccatum, *ingens deorsum seu profundum,* cui
comparare deberes. In natura, foveas præcipita
profundum Marium. In arte, puteos & carceres.
In scriptura, specum Danielis, repletam leonibus.
Dan. 6. Saltum Absalonis, plenum præcipitiis &
infamem absunto exercitu 2. Reg. 18. Abyssum
Sodomæ & Gomorhæ cœlestibus repletam ignibus.
Gen. 19.

Similiter Dominica quarta post Pentecost: ad
illa verba. *Laborantes nihil capimus* Luc. 5. posset

A 3 forma-